



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Rvperti Abbatis Monasterii Tuitiensis, ordinis sancti
Benedicti, Theologi antiqui ac plane clarissimi, in Cantica
Canticorum de incarnatione Domini commentario[rum],
libri VII**

Rupertus <Tuitensis>

[Köln], 1527

VD16 B 3703

Descendi in ortum nucum, ut uiderem poma conuallis, & inspicerem si
floruisset uinea, & germinassent mala punica.

urn:nbn:de:hbz:466:1-34445

RVP. IN CAN. CANT. CA. VI.

lis ut castrorum acies ordinata, sicut superius iam dictum est. Protinus uero, quod dixeras o dilecta filabus Hierusalem, percunctantibus quo abiisset dilectus tuus, dilectus meus descendit ad areolam aromatis ut pascatur, in ortis, ipse gratanter acceptum, confirmat his uerbis.

¶ Descendi in ortum nucum, ut uiderem poma conuallis, & inspicerem si floruisset uinea, & germinassent mala punica.

Gal. 4
Lex, sicut
nux est.
2. Cor. 3

¶ Ita soror mea ut nouissime dixisti. Ego descendi, uidelicet de coelis in ortum meum, ortum nucum, factus sum enim ex te muliere, factus sub lege, quæ nimirum lex sic mihi est tanquam ortus nucum. ¶ Denique sicut nux sub amaro cortice, intra testam duram, dulcem & ad uescendum suauem continet nucleum, ita sub amara uel occidente litera, & durissimo iugo caeremoniarum, suauem atque uiuificantem continet spiritum. Ad quid huc descendi? Ut uiderem poma conuallis, & inspicerem si floruisset uinea, & germinassent mala punica. Verum quod econtra euenit, illud cantabile non est, ad Cantica Canticorum non pertinet: siquidem respicias causam illorum, qui illi descensui meo nimis ingrati fuerunt. Amici nostri & filia Hierusalem adulescentulae nostrae iam dudum rem gestam bene nouerunt, secundum illam parabolam quam dixi, quæ est huiusmodi. Homo erat paterfamilias, qui plantauit uineam & sepem circumdedit ei, & fodit in ea torcular et cætera, usque, nouissime autem misit ad eos filium suum, dicens: Verebuntur filium meum.

Parabola
de agrico-
lis uineæ.
Math. 21,

COMMENTARIO. LIB. VI. Fo. 98

Agricolæ autem uidentes filium, dixerunt intra se: Hic est hæres. Venite occidamus eum, & habebimus hæreditatem eius. Et apprehensum eiecerunt eum extra uineam, & occiderunt eum.

¶ Secundum (inquam) parabolam illam, ego descendi in ortum nucum, id est, sub lege factus sum, ut uiderem poma conuallis, id est, ut consolarem eos qui me expectabant in spiritu humilitatis. Iuxta illud: Spiritus domini super me eo quod unxerit me dominus. Ad annunciandum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde, & prædicarem captiuis indulgentiam, & clauis apertionem & cætera. Non solum autem, sed & ut inspicerem, si florisset uinea: illa nimirum uinea, de qua scriptura prophetica dicit: Vinea facta est dilecto in cornu filio olei & cætera, usque, uinea enim domini exercituum domus Israel est, At illi agricolæ eiecerunt & occiderunt me. Veruntamen licet, hæc mihi fecerint, aliqua pars eorum tandem poenitens istud cantabile dixit.

Nesciui anima mea conturbauit me, propter quadrigas Aminadab.

¶ Vbi nam hoc dictum fuit? Cùm dicerent eis amici nostri, certissime ergo sciat omnis domus Israel, quia dominum eum & Christum deus fecit hunc Iesum, quem uos crucifixistis: His auditis compuncti sunt corde & dixerunt ad eos. Quid faciemus uiri fratres? Et quidam talium notissimus ita dicit. Fui blasphemus & persecutor & contumeliosus, sed misertordiam consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate. His atque alijs modis dixit poenitens synago-

Descendi
in hortum
nucum.

Esa. 61.

Luc. 4.

Esa. 5

Actu. 2

1. Timo. 1